

innodari posse, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non aliis statutis et consuetudinibus ecclesiarum praedictarum iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Romae apud s. Petrum anno inc. dom. millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, quinto Idus Junii pont. n. anno quinto.

A. de Valteris.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an roth und gelbseidener Schnur. Ludewig rell. mss. IX. 662. Calles series Misn. epp. 311.

No. 1194. 1476. 9. Juni.

*P. Sixtus IV. geneigt dem Gesuche des Kurf. Ernst und Herzogs Albrecht gemäss diesen das Präsentationsrecht zu der Probstei, dem Decanat, den Archidiaconaten und anderen höheren Würden im Domcapitel zu Meissen zu verleihen, beauftragt den Bischof zu Merseburg desshalb Erörterungen anzustellen und nach erfolgter Zustimmung des Bischofs und des Capitels dieses Recht den Fürsten zu übertragen vorbehältlich der an die päbstl. Kammer zu zahlenden Annaten.*

Sixtus episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . episcopo Merszeburgensi salutem et apostolicam benedictionem. Apostolicae nobis desuper iniunctae servitutis officium mentem nostram excitat et inducit, ut circa ea, quae pro cathedralium ecclesiarum ac in illis altissimo famulantium necnon nobis et sedi apostolicae devotarum et praesertim illustrium personarum pace et tranquillitate profutura conspicimus, operosis iugiter studiis intendamus et ipsarum illustrium personarum petitiones, quas ob id nobis porrigi contingit, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Ernesti sacri Romani imperii principis electoris ac Alberti ducum Saxoniae nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum ecclesia Misnensis in eorum temporali dominio et intra castrum seu fortelitium Misnense illius patriae insigne, quod pleno iure ad ipsos duces spectare dinoscitur, constituta existat ac cum aliquando accidat, quod in ea ad praeposituram, quae inibi dignitas post pontificalem maior existit, ac decanatum archidiaconatus aliasque dignitates ac personatus administrationes vel officia ipsius ecclesiae personae assumuntur ipsis ducibus suspectae et minus gratae, habeantque personae ipsae plerunque domos seu habitationes in ipso castro sitas, ex quo maior ipsis ducibus suspicio ac pericula maxima exoriri possunt. Quare ut inter ipsos duces eorumque successores ac ecclesiam et illius personas perpetua pax et tranquillitas vigeat omnisque suspicionis tollatur occasio ipsaque ecclesia ex hoc felicia suscipere possit incrementa, pro parte ipsorum ducum nobis fuit humiliter supplicatum, quatinus ut de cetero ad praeposituram decanatum archidiaconatus ac alias dignitates personatus administrationes et officia ecclesiae praedictae personae gratae ducibus et minus suspectae assumantur, ducibus ipsis eorumque successoribus plenum ius nominandi ac patronatus et praesentandi personas idoneas ad praeposituram decanatum archidiaconatus aliasque dignitates personatus administrationes et officia ecclesiae